

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Becker

Prima Logicæ Rudimenta, Tyronum captui accommodata in usum Scholarum

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1708?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn863336663>

Druck Freier  Zugang





November.

Walt, (21) Ursula

31. 23. offig. mä feuchte. (20) Bendelin.

E.C. 3218.

DO

6,26. (3 Zeiträg
21b.



Matth. 22.

October.
22. verändert. (I 18. Zrin.
vill.)

PRIMA
LOGICÆ
RUDIMENTA,


Tyronum captui ac-
commodata
in usum Scholarum.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Am-
pliss. Senat, Typogr.

Publ
SCHOLA-
STICÆ
SACRUM.





PRÆCOGNITA LOGICÆ.



OGICA dicitur a græcâ voce λόγος, quæ & rationem & orationem significat ; partim quia rationem informat seu instruit, partim ex qualibet oratione veritatem elicere studet.

Logica enim est habitus informans rationem, ad indagandam ex qualibet oratione veritatem.

Quæ quatenus absque præceptis & regulis solâ ratione ministrâ patet, *naturalis* & *utens* ; quatenus regulis artis addiscitur, *artificialis* seu *docens* dici potest.

Dividitur in partem *communem* seu *generalem*, quæ *theoriam* construendi Syllogismi ; & *propriam* seu *specialem* quæ *praxin* & *ufum* constructi in definiendo, dividendo, demonstrando, interpretando, disputando, tradit.

A 2

Pars

i
ii

4 LIBER. I. CAP. I. DE TERM. IN GENERE.

Pars communis , secundum tres mentis operationes , tres complectitur libros 1.
2. 3. de terminis . 2. de Enunciatione . 3. de Syllogismo .

**Lib. I. de Terminis
CAP. I.**

i. *De Termino in genere.*

Terminus est vox aliquid significans , & varie dividitur.

Finitus est , qui rem certam significat , exprimendo quid sit . Arbor , Mensa , Canis , Doctus , Probus , Justus .

Infinitus qui rem negative describit , explicando quid non sit . Non arbor , non mensa , non canis , non doctus , non probus , non justus .

Positivus qui rem positivam & re ipsâ existentem describit . Lux , Visus , Divitiae , Dies .

Privativus , qui privationem rei positivâ infert . Tenebra , Cæcitas , Paupertas . Nox .

Abstractus qui notat formam simplicem , sine subjecti connotatione . Justitia , Albedo , Doctrina , Prudentia .

Concretus , qui & formam & subjectum simul involvit . Justus , Albus , Doctus , Prudens .

Categorematicus qui jam per se aliquid significat . Creta , Avis , Leo .

Sy

LIBER. I. CAP. I. DE TERM. IN GENERE. §

Syncategorematicus sive *connotatus*, qui non per se, sed quando alii jungitur, aliquid significat. *Albus*, *Alatus*. *Heri*, *jam*, *Cur*, *Sicut*.

Mixtus qui ex categorematico & Syncategorematico quasi conflatus. *Nihil*. i. e. *nulla res*. *Hodie pro hoc die*. *Aliquid pro aliqua res*. *Pugnus* i. e. *manus clausa*.

Notionis prime qui rem ita exprimit, ut ab unoquoque primum visa vel audita percipi queat. *Homo*. *Equus*. *Animal*.

Notionis secundae qui technologicè, uti artis periti eam apprehendunt, describit. Sic homo dicitur *substantia*. *Equus*, *species*. *Animal*, *genus*.

Complexus qui plures notat formas; idque *voce tantum*, vel *re tantum*, vel *voce & re simul*.

Voce tantum quando voces quidem plures, rem tamen unam significant: verius *incomplexus*. e. g. *Locus erudiendis pueris destinatus*. i. e. *Schola*.

Re tantum quando plures res unica voce exprimuntur. *Tuus* i. e. *ad te pertinens*.

Voce & re simul, ubi & plures voces & plures res concurrunt, *homo doctrina praeditus*.

In complexus qui unicam significant formam, idque iterum

Voce tantum, ubi unica vox plures notat formas, *Omnia* i. e. *omnes res*. *Re*

Re tantum ubi voces plures unicam formam notant: *Hypocaustum libris aſſervandis ſacratum* pro bibliotheca.

Voce & re simul qui unam formam unicā voce notat, Justitia.

CAP. II.

De anteprædicamentis, seu Termino Univoco, Equivoço, Analogō, Paronymo.

Anteprædicamenta dicuntur, quia doctrinæ de prædicamentis plerumque præmittuntur.

Univocus alias *Synonyms*, qui pluribus rebus eadem significatione & prorsus æquali- ter tribuitur. *Animal. homini & bruto, Piscis lucio & perca &c. Arbor malo & pruno &c.*

Univocans dicitur vox quæ competit. *Animal. Piscis. Arbor. Univocata* sunt res quibus competit. *Homo & Brutum. Lucius & Perca. Malus & Prunus, &c.*

Differt. v. ab hoc *Synonymo logico Synonymum Grammaticum*. quod est vox ejusdem significationis cum aliis; *ferrum, telum, enfis, gladius, mori, animam efflare, spiritum emittere, extingui, ex spirare.*

Equivocus sive *homonymus* qui pluribus rebus sed longe diversa ratione & significatione competit. *Malus, quæ vox & pomum &*

LIB. I. CAP. II. DE UN. ÆQU. AN. PAR. 7

& antennam & improbum significat. *Cancer*, quo nomine & animal aquatile, & sydus cœlestis & morbi genus notatur. Dicitur græce πολύσημος.

Æquivocans est vox quæ competit;
Æquivocata, res quibus competit,

Dicitur hic casu factus, cum nulla ejusdem denominationis ratio datur. Cur *jus* leges & *jentaculum*? Cur *malus* antennam & *improbum* notat?

Consilio factus, cum datur ratio ejusdem denominationis. *Vulpes* dicitur astutus quisque, & animal quadrupes, ob astutiam. *Cancer* Sydus & aquatile animal, ob retrogradationem.

Analogus, qui pluribus sub eadem significatione sed inæqualiter tribuitur, huic πρώτως s. primario, illi δευτέρως s. secundario. Sic attributa DEI *justitia*, *prudentia*, *misericordia*, *spiritualitas* etiam creaturis angelis & hominibus competunt, sed longè eminentiori modo illi, quam his.

Analogia hæc duplex: *Proportionis* & *Attributionis*.

Proportionis, quæ fundamentum convenientiæ querit in externa similitudine. *Homo pictus* & *vivus*. *Orbis Terrarum* geographice delineatus, & *orbis ipse habitabilis*.

Attributionis, quæ fundamentum con-

8 LIB. I. CAP. III. DE PRÆDICABILIBUS.

yenientiæ in ipsa natura & intrinsecè quærit. sic *DEus angelus & anima* dicuntur *Spiritus*. Sed hēm quanto intervallo *Spiritualitas Dei anima & angelorum spiritualitatem* post se relinquit.

Paronymus s. *Denominativus*, qui tanquam concretus ab abstracto, subjectum a forma inhærente denominatur. Sic *dives a divitiis. Fustus, a iustitia*. Differt. a. hæc logica denominatio a grammatica, ubi longa vox a breviore derivatur; sic *iustitia a justa, divitiae a divite*.

CAP. III.

De Prædicabilibus sive de Termino Universali & Singulari.

Prædicabilis s. *Universalis*, qui de pluribus inferioribus, sub se comprehensis, potest prædicari; sic genera de species, species de individuis possunt prædicari.

Prædicatur vero terminus vel *in quid* seu *Synonymice* de subjecto, quando prædicatum exprimit naturam & essentiam subjecti, *quid sit*. Sic genera prædicantur de species & species de individuis.

Vel *in quale* seu *paronymicè* quando prædicatum exprimit extrinseca quædam proprietatem & accidentia subjecti, *quale sit*.

LIB. I. CAP. III. DE PRÆDICABILIBUS. 9

sit. Sic propria & accidentia prædicantur de individuis, speciebus, aut generibus.

Vel in quale quid, quando prædicatum exprimit ejusmodi attributum subjecti, quod nec est ipsa natura, nec solum proprium aut accidens, sed proxime ingreditur quidditatem; sic differentia de speciebus prædicatur. Prædicabilia itaque sunt:

Genus, est prædicabile, quod de specie differentibus prædicatur *in quid.* *Piscis de perca angvilla, lucio &c.* *Liquor de aqua, vino, cerevisia &c.* *Panis de spira, simila &c.* prædicantur.

Estque *summum*; si aliud genus se superius non agnoscit. *Substantia de corpore & spiritu.* Nisi dicere velis *Ens* esse vel *substantiam* vel *accidens* (quod analogice magis quam *synonymicè* dicitur) sic enim *Ens* foret *genus summum.*

Vel *subalternum*; quod & genus supra se & species infra se agnoscit. Sic *corpus* habet *substantiam* se superiorem; *lapidem* vero *lignum, hominem, bruta* se inferiora.

Species est prædicabile quod de individuis s. numero differentibus prædicatur *in quid.* Sic *Homo de Petro Paulo Johanne. Canis de hoc illo, isto, cane. Spira de hac illa ista &c.* prædicatur.

Estque *infima*, quæ non nisi individua sub se habet, quæ jam descripta.

A §

Vel

10 LIB. I. CAP. III. DE PRÆDICABILIBUS.

Vel subalterna, quæ genus supra se & species alias infra se agnoscit. Sic animal supra se corpus, & infra se hominem & bruta comprehendit.

Differentia est prædicabile quod generi additum certam constituit speciem, de qua prædicatur *in quale quid*, sic incorporeum additum substantia tanquam generi constituit speciem quæ est *spiritus*.

Dicitur *generica* si constituat speciem subalternam, *specifica* si speciem infimam.

Proprium est prædicabile, quod prædicatur de subjecto *in quale* & quidem *necessarium*. *tò latrabile de cane*, *risibile de homine*, *binnibile de equo* *necessario prædicatur*.

Vulgo quatuor sunt ejus modi.

1. Quod soli non omni competit; *Medicum esse*.
2. Quod omni non soli competit; *bipedem esse*.
3. Quod omni & soli non semper competit; *canescere*.
4. Quod omni soli & semper competit; *sic, risibilem esse* *juxta tritum illud: Est Medicus, bipes, canescens, denique ridens.*

Accidens est prædicabile quod prædicatur *in quale contingens*. *Aegrotum, divitem, honoratum esse*.

Singularis qui & Non-prædicabilis & iudicandus vocatur, qui de inferioribus prædicari nequit. & significatur

1)

- 1) Nomine proprio. *Johannes, Marcus, Alexander, Darius*
- 2) Pronomine demonstrativo. *Hic liber, hac penna, hoc scannum.*
- 3) Periphrasi. *Autor libri de arte amandi, i. e. Ovidius.*
- 4) Synecdochice *Poeta de Terentio.*
- 5) Disjunctive, quod vagum dicitur, *aliquis adfuit mihi amicus, nescio an hic ille aut iste.*

Datur autem præterea prædicabile *extra-
ordinarium*, unde prædicatio,

Inordinata cum strictius de latiori, species de genere, individuum de specie prædicatur. *Animal est canis. Homo est Fa-
cetus.*

Inusitata cum quæ disparata sunt & plane non convenire videntur, prædican-
tur. *DEus est homo. Panis est corpus. Virgo
parit.*

Impropria ubi latet tropus, s. figurata lo-
quendi ratio. *Tecta loquuntur. Calum nar-
rat gloriam Dei.*

Identica ubi subjectum & prædicatum
est idem, licet diversimode nonnunquam
propositum. *Bonum est non malum. Petrus est
hic homo. Calidum est non frigidum.*

CAP.

CAP. IV.

*De Prædicamentis, sive de termino Prædicamenti
alii & non prædicamen-
tali.*

Pradicamentalis est, qui refertur ad certum aliquod prædicamentum, idque vel directe ut genera & species vel indirecte ut differentia vel reductive ut negationes, privationes, partes; quæ referantur eò, quo pertinent eorum positiva & tota.

Prædicamentum autem est classis generum & specierum decenti ordine dispositarum.

Sunt duo: Substantia & Accidens ut habet vulgatissimus versiculus: *Summus Aristoteles trivinando cacumina rerum, in duo divisit, quicquid in orbe fuit.*

Accidentium autem sunt novem. Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, quando, Ubi, Situs & Habitus; hinc decem Prædicamenta.

Ex quibus sex priora primaria; quatuor reliqua secundaria dicuntur.

1. Substantia est quæ per se subsistit, & sustinet accidentia. Domus. Tabula. Canis. Leo. Pileus, Culter.

Estque

Estque prima seu res ipsa quæ in sensus cadit. Vocatur etiam *suppositum*, & in intelligentibus persona; secunda seu conceptus substantiæ quem intellectus format.

Proprietates ejus

- 1) *admittere accidentia.*
- 2) *non admittere magis & minus.*
- 3) *non admittere contraria.*

2. *Quantitas* est accidens per quod substantia dicitur habere partem extra partem.

2.

Estque *continua*; cujus partes cohærent ut *magnitudo* ejusque *species*, *linea*, *superficies*, *corpus*.

Huc etiam refertur *locus*, qui *superficiei*, & *tempus* quod *linea* assimilatur.

Discreta cujus partes non cohærent; ut *multitudo* seu *nummerus*.

Huc refertur *oratio*, cum nec *litera* nec *syllabe* nec *voces* nec *periodi* cohæreant.

Proprietates ejus sunt

- 1) *non recipere contrarium*
- 2) *non recipere magis & minus.*
- 3) *substantias facere aequales & inaequales.*

3. *Qualitas* est accidens per quod substantia dicitur habere certas proprietates & accidentia. *Color.* *Color.* *Siccitas.* *Humiditas.*

3.

Eius

Ejus species sunt

Habitus & quidem acquisitus, quo quis ad agendum aptior redditur ab arte. sic: *Musicum. Pugillatoria artis peritum. Disciplina gnaram &c. esse.*

Coucreatus fuit in Adamo.

Infusus in Apostolis.

Habitui opponitur Dispositio, qua quis incipit esse aptus ad agendum juxta regulas artis. *Qui discit musicam, artem saltandi, equitandi, scribendi.*

Habitus autem sunt vel corporis ut ars navigandi, saltandi, equitandi peritia.

Aut animi & illi vel Principales: Intel- ligentia, Sapientia, Scientia, Ars, Pruden- tia. vel Instrumentales; Logica Rhethorica Poësis Grammatica.

Naturalis potentia, qua quis a natura absque præceptis aptus est ad agendum; *hom- mo firmioris ætatis ad loquendum, incedendum, avis ad volandam.*

Naturalis impotentia quaquis incipit esse aptus ad agendum naturaliter; *infans ad loquen- dum & incedendum. Ægrotus ad concependum, se movendum.*

Passio qua sensus & animus afficitur, cito existente, cito etiam pereunte. *Rubor ex pudore, Dolor ex iœtu, Pallor ex metu.*

Paribilis s. passibilis qualitas, quâ sensus & animus afficitur, diutius inhærente; *co- lor*

tor visum, sonus auditum, misericordia animum afficit.

Figura qua delineantur corpora inanimata. Ut rotundi quadrati triangularis corporis.

Forma, qua delineantur corpora animata. Hominis. Leonis. Canis; ubi versicolor.

Formam viventis, picti dic esse figuram. Proprietates sunt

1) Recipere contraria.

2) Admittere magis & minus.

3) Substantias facere similes vel dissimiles.

4 Relatio est accidens per quod substantia dicitur ad aliam respectum habere. Paternitas filiationem. Officium maris feminam, mariti uxorem, sponsi sponsam; Preceptoris Discipulum respicit. Ubi nota

1 Relatum s. subjectum, quod referatur.

2 Fundamentum relationis, cur refertur.

3 Correlatum s. terminus ad quem refertur.

Estque relatio duplex

Æquiparantie, ubi relatum & correlatum respectu relationis sunt paria ejusdemque nominis. Vicinus & vicinus. proximus & proximus, amicus & amicus.

Disquis-

4

16 LIB. I. CAP. IV. DE PRÆDICAMENTIS.

Disquiparantia, ubi dispara & diversi nominis; *Dominus servus*. *Magistratus & subditus* &c.

Porro relatio rei, ubi res & res conseruntur seu notiones primæ. Pater & filius.

Rationis ubi conceptus & conceptus s. notiones secundæ referuntur ad se. *subjectum respicit prædicatum*; *substantia accidentis*. *Genus speciem*.

Relatio transcendentalis ubi termini metaphysici ad se referuntur. *Causa causatum*. *Pars Totum*. *Necessarium contingens*.

Proprietates sunt

- 1) *Posito uno poni alterum*; s. esse simili natura.
- 2) *cognito uno cognosci alterum*, seu se mutuo definire.

5. *Actio* est accidentis per quod substantia dicitur agere. amare. legere. verberare. occidere.

6. *Passio* est accidentis per quod substantia dicitur pati. Amari. legi. verberari. occidi.

Utraque & actio & passio est

Ratione effectus vel Substantialis. generare & generari. vel accidentalis. erudire eruditiri.

Ratione objecti vel immanens: intelligere, intelligi. cogitare, cogitari. vel transiens: tangere, tangi. reprehendere, reprehendi. docere, doceri.

Ratione causæ Moralis a legibus diligere proxi-

proximum, & diligi; Vel Naturalis a natura urere & uri, concoquere, concoqui; vel artificialis: cantare cantari.

Proprietates

1) actionem & passionem sequi naturam potentiae.

2) recipere contraria.

3) recipere magis & minus.

7. Quando est accidens, secundum quod substantia dicitur esse in tempore. scilicet presentem, praeteritum, futurum esse.

Tempus est duratio ex motu solis presumta, finita a parte ante & post, seu habens initium & finem; ei contradistinguitur

Aevum s. duratio finita a parte ante & infinita a parte post, quæ habet initium non finem.

Aeternitas duratio infinita a parte ante & post, quæ nec initium nec finem habet.

8. Ubi est accidens, per quod substantia esse in loco dicitur. In urbe, domo, lecto, hypocastro esse.

Locus est certum spatium hujus mundi.

Estque respectivus, quando respectum ad alium locum infert. Dexter resp. sinistri, superior resp. inferioris.

Absolutus quando nullum respectum infert. Domi, foris esse &c.

B

Com-

Communis, qui admittit alia subiecta
Templum, Schola, Forum,

Proprius qui non nisi unicum admittit
subiectum, ut locus cuiusque rei.

Ceterum in loco aliquid est

Circumscripтивे seu totum in toto, &
quà partem in parte loci ut: corpora.

Definitivè s. non nullibi, & alicubi, ut to-
tum in toto, & totum in parte loci sit, us
spiritus.

Repletivè seu ubique totum, ut DEUS.

9. Situs est accidens, per quod substantia
hoc vel illo modo posita & collocata dici-
tur: ut curvum, primum, supinum esse, stare,
iacere, sedere.

10. Habitus est accidens, secundum quod sub-
stantia dicitur admittere externum indu-
mentum. ut togatum, palliatum, ornatum esse.

Terminus non prædicamentalis, qvi ad nul-
lum certum prædicamentum referri po-
test.

Sic excluduntur a prædicamentis

1) Complexum, concretum: paries albus.
2) Consignificans Syncategorematicus si-
cut, recens.

3) Fictum, Ens rationis, chimera.

4) Polysemon, æquivocum, malus.

5) Vox logica s. notiones secundæ, Subjectum
predicatum.

6) DEUS quia non sustinet accidentia.

7) Pri-

7) *Privatio*, quæ reductivè saltem est in prædicamento; *paupertas*, *agritudo*.

8) *Pars* quæ iterum reductivè est in prædicamento; *manus*, *pes*, *ramus*.

CAP. V.

De Postprædicamentis s. Termino Opposito & Disparato,

Termini oppositi sunt, qui ita sunt diversi, ut se mutuo excludant; hoc est: ut posito uno, tollatur alter.

Suntque vel contrarie: ut *Bonum*, *malum*.
Nigrum album. *Virtus vitium*. *Calor frigus*.

Contradicториè ut *Bonum*, non *bonum*. *Nigrum non-nigrum*, *Virtus non-virtus*.

Relative ut *Pater filius*. *Maritus uxor*. *Magistratus subditus*.

Privativè ut *Visio cæcitas*, *Lux tenebrae*:

Disparati qui ita sunt diversi, ut se mutuo non excludant. *Homo*. *lapis*. *senator*. *docter*. *civis*. *sutor*.

Huc pertinet contradicτio in adjecto, quando aliquid termino adjicitur, quod eum quasi tollit. *Ferrum ligneum*, *sapiens stultitia*.

Huc quoque spectat: *prius*, *posterior*, & *simul*, de quibus versiculus:

Tempore, naturâ, prius, ordine, dic & honore.

Nec non sex motus species: *Generatio*, *corruptio*, *augmentatio*, *diminutio*, *alteratio*, *motus localis*.

Partis I. Liber II.

De Enunciatione

CAP. I.

ii. De natura & constitutione Enunciationis.

Enunciatio est oratio, aliquid affirmans vel negans. *Homo* est peccator. *DEUS* punit. *Canis latrat.* Partes sunt *Subjectum* s. nomen de quo aliquid affirmatur s. negatur. *Homo. DEUS. Canis.*

Predicatum sive verbum quod de *subjecto* affirmatur vel negatur. *Peccatorem esse, punire, latrare,*

Copula seu verbum *EST* quod utrumque conjungit, vel disjungit.

Reliqua enunciationis verba, sunt determinationes *subjecti* vel *predicati*: ut in hac propositione: *Qui vera fide non credit in Christum finaliter, aeternum a facie DEI exclusus damatur.*

Subjectum est credens, cuius determinaciones sunt finaliter, vera fide, in Christum. *Predicatum* est damnari, cuius determinaciones: excludi a facie *DEI*, aeternum.

Subjectum regulariter priori, *predicatum* posteriori loco. *Subjectum* nominativo, *predicatum* tempore praesenti exprimitur. Ora-tores tamen & ordinem & positum interdum invertunt.

Copula

Copula est vel *expressa* quando verbum
Est expresse ponitur. *Justitia EST virtus*, vel
Subintellecta, quando latet in verbo. *Fides*
justificat, i. e. *fides est justificans*.

Verbum Est quando copulat, dicitur *tertii*:
adjecti; quando significat seu prædicati lo-
co ponitur, *secundi adjecti*. *DEUS est i. e. exi-*
stit, *sive est existens*.

CAP. II.

De Divisione Enunciationis.

Dividitur Enunciatio ratione materiæ in
Veram & falsam.

Vera est, ubi subjectum & prædicatum
optime convenient. *Virtus laudatur. Homo.*
est creature.

Falsa ubi subjectum & prædicatum non
convenient. *Vitium laudatur. Angeli sunt*
adorandi. Ubi notandi canones.

Quicquid continetur in prædicato, illud omne
sibi vendicat subjectum; non contra.

Talia sunt subjecta, qualia permittuntur a præ-
dicatis, & contra.

Ratione formæ, quæritur quæ, qualis aut
quanta sit.

Quando quæritur: *Quæ sit?* respondetur
esse, *Categoricam vel Hypotheticam. Puram vel*
Modalem. Absolutam vel Exponibilem.

Categorica s. simplex, ubi unum prædica-
tum de uno subjecto simpliciter affirmatur

22 LIB. II, CAP. II. DE DIVISIONE ENUNCI.

vel negatur. *Celum est serenum.*

Hypotheticalis composita, ubi plura subiecta aut praedicata. *Estque triplex*

Conditionalis quæ sub conditione medi-
antibus particulis si. nisi. *Quod si &c.* affir-
mat vel negat. *Si crediderit homo, a DEO*
iustus declaratur.

Resolvitur in antecedens s. conditionem &
consequens.

Ubi canones notandi

1) *Posito s. affirmato antecedente, ponitur con-*
sequens.

2) *Remoto sive negato consequente, negatur an-*
tecedens.

3) *Conditio nihil ponit in esse.*

Disjunctiva, quæ sub certa disjunctione,
mediantibus particulis aut aut &c. affirmat
vel negat *Omnes homines aut boni sunt aut*
mali; aut docti aut non docti. Prædicamentum
aut accidens est, aut substantia.

Ubi notandum: Membra legitime sibi
debere opponi. Alias responderi potest:
Datur tertium, quartum &c. aut utrumque vel
neutrū eorum est.

Sic O. aqua aut est extreme frigida aut extre-
me calida Rf. datur tertium; aut tepida

O. Opifex aut futor aut fartor. Rf. dantur
plures: aut pistor, faber, textor.

Q. homo potest esse aut senator, aut mercator.
Rf. utrumque potest esse.

Pec-

Peccator aut in hoc aut futuro seculo felix est.
Rf. neutrum potest esse.

Copulativa quæ plura subiecta vel prædicata cumulat, mediantibus copulativis & &; Et videt & justa librat DELS omnia lance.

Porro cum queritur, quæ sit enunciatio? respondetur, esse vel modalem vel absolutam.

Modalis qvæ sub certo modo affirmat vel negat. Sunt vero Modi quatuor.

Necesse est; contingit; possibile est; impossibile est.

Necesse est salvandum credere

Contingit hominem agrotare.

Possibile est, rusticum fieri principem.

Impossibile est, rectum esse curvum.

Refertur autem modus ad prædicatum potius qvam subiectum, & resolvitur ita.

Salvandus necessario debet credere.

Homo contingenter agrotat.

Rusticus potest fieri princeps.

Rectum non potest esse curvum.

Absoluta quæ sine modo affirmat. Pietas est ad omnia utilis.

Tandem, cum queritur quæ sit enunciatio? respondetur: esse vel Exponibilem, l. Puram.

Exponibilis quæ habet particulas expositione dignas; estque ea

Exclusiva quæ habet particulas exclusivas solum, duntaxat, modo, unice. Sola fides justificat.

Et hæc virtualiter semper negat, idem enim est ac si diceres: *Nihil aliud justificat.*

Exceptiva quæ habet particulas Exceptivas. *Preter. Nisi. Excepto hoc. Preter DEUM nemo condidit hoc universum.*

Restrictiva, quæ habet particulas restrictivas, *qua, quatenus, in quantum & hæc iterum duplex.*

Reduplicativa quæ subjectum repetit & sic duplicat. *Avarus quatenus est avarus damnatur.*

Specificativa, quæ non repetit, sed aliquid in eo designat vel specificat. *Homo quæ animam est immortalis.*

Comparativa, quæ duo subjecta comparat, & prædicatum alteri magis alteri minus tribuit: *Goliath major Davide, Judas peior fuit Petro.*

Pura, quæ non habet particulas expositione dignas. *Bona opera sunt necessaria.*

Quando quæritur: *Qualis fit enunciatio?* respondetur: esse vel affirmativam vel negativam.

Affirmativa, quæ dicit prædicatum inesse subjecto. *Peccata provocant iram DEI.*

Negativa quæ dicit prædicatum non inesse subjecto. *Vitium non est laudandum.*

Ad veram negationem requiritur, ut negatio afficiat copulam; qvod apparet; Sivel ab initio Enunciationis sit *Nullus aut Solus*, vel *Non adhæreat copula.*

Si

LIB. II. CAP. II. DE DIVISIONE ENUNT. 25

Si vero q̄o Non sit in subiecto aut prædicato enunciatio dicitur infinita ratione subiecti vel prædicati, vel utriusque.

Qui non est diligens, contemnitur.

Qui credit, est non damnandus.

Qui proximum non amat, est non dignus Christianus.

Quando queritur, quanta sit enunciatio? respondetur esse Universalem, Particularem, Indefinitam aut Singularem.

Universalis quæ habet signum universale Omnis, Nullus, quicunque est. præfixum. Omnis civis est subditus. Quicunque dormit, non videt.

1) Signum universale Omnis, debet præfigi in casu recto integræ enunciationi. Quare universalis non est Quidam eruditus omnes callet linguas.

2) Debet notare Singula generum germ: alle mit einander non genera singulorum germ: allerley Ahrt. Sic non est universalis. Omnes opifices sunt in hac urbe. i. e. omnis generis opifices.

3) Debet habere sensum distributivum ut sit germ: alle und jede, der eine so wohl als der ander. Unde Universalis non est: O. quatuor equi trahunt currum, quando singuli non possunt.

Particularis, quæ habet signum particulare. Quidam, Aliquis. Nonnullus. Quidam

B { di

26 LIB. II. CAP. III. DE AFFECT. ENUNT.

divites sunt superbi Signum a. particolare debet habere sensum exclusivum , germ: Nicht alle sondern nur etliche; non positivum.

Indefinita quæ nullum habet signum cum tamen habere possit. *Justitia est virtus. Diritie sunt periculose.*

Singularis cuius subiectum est singularis terminus s. individuum. *Paulus raptes est in paradisum.*

Cap. III.

De Affectionibus Enunciationum.

Affectiones sunt quatuor. *Subalternatio*, *Opposito*, *Æquipollentia* & *Conversio*.

Subalternatio, cum universali subsumitur particularis. *Omnis cives subsunt magistratus.* *Quidam cives subsunt magistratui.* Nullus homo est interficiendus. *Quidam homo non est interficiendus.*

Universalis dicitur *Subalternans* & particularis *subalternata*; ubi *Canon: A veritate subalternantis ad veritatem subalternata valet consequentia, non contra.*

Hoc est: si universalis vera, necessario etiam particularis; non contra. Sic: Si omnis virtus laudem meretur, necessario etiam quædam ex gr. liberalitas quo sensu particularis positive non exclusivè sumitur.

Non

LIB. II. CAP. III. DE AFFECT. ENUNT. 27

Non a. seqvitur: *Si quidam discipulus diligens, ergo omnes.*

Opposito est quando affirmanti opponitur negans. Est autem triplex *Contraria*, quando duæ universales sibi opponuntur,

O. homines salvantur.

N. homines salvantur.

Ea non adhibetur in Disputationibus cum utraque possit esse falsa , ut docet exemplum jam datum.

Subcontraria quando duæ *particulares* sibi opponuntur.

Quadam avis est capta

Quadam avis non est capta

Ea iterum non adhibetur à disputantibus ; qvia utraque potest esse vera , ut docet exemplum superius.

Contradictria quando *Universalis*, *particularis*, *indefinitæ indefinita*, *singulari singularis* opponuntur.

O proximus est diligendus

Quidam proximus non est diligendus.

Nullum vitium est licitum

Quoddam vitium est licitum.

Homo habet rationem

Homo non habet rationem.

Judas est damnatus

Judas non est damnatus.

Ea demum adhibetur inter disputantes , cum semper altera sit vera , altera falsa.

Eft

Est etiam alius contradicendi modus ; quando integra enunciatio adversarii repetitur , præfigendo particulam non

Bellum est licitum

Non bellum est licitum i.e. vera non est Enuntiatio : bellum esse licitum.

Pørro vera contradic̄tio debet esse de eodem subiecto , eodem modo , & tempore .

Sic non contradicunt h̄z :

DEllis est honorandus

DEus gentilium non est honorandus , cum non sit de eodem subiecto sermo.

Herodes est vulpes (metaphorice)

Herodes non est vulpes (proprie) cum non sit de eodem modo sermo.

Omnia opera sunt exercenda (die non sabbathico)

Omnia opera non sunt exercenda (die sabbathi)

cum non sit sermo de eodem tempore

Æquipollentia est , quando duæ contraria , contradic̄toria aut subalterna ad eundem sensum rediguntur per particulam non ; præfigendam in contradictoriis ; postponendam in contrariis ; præfigendam & postponendam simul in subalternis .

O. leo est animal

Non quidam leo non est animal.

Nullus justus est damnandus

Omnis justus non est damnandus.

O. ava-

O. avaritia est vitium.

Non quædam avaritia non est vitium.

De hac æquipollentia mnemonicum illud:

Quæ contradicunt illis præpone negantem.

Postpone adversis, subjunctis fiat utrumque.

Ubi aduersa notant contraria; & subjuncta, subalterna.

Conversio est quando ex subiecto fit prædicatum & ex prædicato subiectum. Estque triplex

Simplex ubi simpliciter subiecta & prædicta permuntantur, & locum habet in Universali negante & particulari affirmante.

Nullus rudis literarum est doctor

Ergo Nullus doctor est rudis literarum.

Quidam homo est viriosus

Ergo quidam viriosus est homo.

Per accidens, quando permutatis subiecto & prædicato, ex Universali fit particularis. Locum habet in Universali affirmante & negante.

O avis est alata.

Ergo quoddam alatum est avis

N. creatura est infinita

Ergo quoddam infinitum non est creatura.

Per contrapositionem quando permutatis subiecto & prædicato ex terminis finitis sunt infiniti. Locum habet in Universali affirmante & particulari negante.

O quanta

O quantum est extensum
Ergo O. non extensum est non quantum.
Q. civis non est dives
Ergo q. non dives non est non civis.

Nota mnemonicum illud.

FECI simpliciter convertitur; ANTE per acci:
FALCO per contra: sic fit conversio tota.
Ubi vocales A. E. I. O. respiciuntur
Afferit A. negat E. sed universaliter ambe.
Afferit I. negat O. sed particulariter ambe.

Part. I. Lib. III.

De Syllogismo.

CAP. I.

De Natura Syllogismi.

III. **S**ylogismus est oratio, ubi ex duabus præmissis propositionibus, tertia per necessariam consequentiam elicetur.

Omnis virtus est laudanda

Castitas est virtus

Ergo castitas est laudanda.

Quod extra Syllogismum dicitur Enunciatio, in Syllogismo dicitur propositio.

Habet itaque Syllogismus tres propositiones, quarum duæ priores, dicuntur præmissæ; & prior quidem major, posterior minor, tertia & ultima dicitur conclusio.

Maj.

Maj. *O virtus est laudanda.*

Min. *Castitas est virtus.*

Concl. *Ergo Castitas est laudanda.*

Termini vero (qui subjecta & prædicata constituunt) quoque sunt tres Major, Minor, & Medius.

Medius est, qui in majore & minore propositione, non vero in conclusione reperitur. Sic in Syll. superiore: *Virtus est medius terminus*; dicitur alias *etiologya seu causa conclusio-*nis, cur illa vera sit.

Major terminus est, qui medio termino jun-
gitur in majori propositione, & prædicatum conclusionis constituit. Sic in Syllog. supe-
riori *laudandum esse est major terminus.*

Minor terminus est, qui medio termino jun-
gitur in minori propositione, & subjectum con-
clusionis constituit. Sic in Syllog. super:
castitas est minor terminus.

Cap. II.

De figuris, modis, & regulis Syllogismi.

Figura Syllogismi est certa medii termini ordinatio & dispositio, ex qua legitime aliquid potest inferri.

Figura plerumque tres constituuntur.

Prima, secunda, tertia.

Præ-

Prima est, ubi medius terminus est subjectum majoris, & prædicatum minoris.

Quando medius terminus est prædicatum majoris, & subjectum minoris, dicitur quarta figura; que tamen solè propositionum transpositione est ipsa prima figura.

Quicunq; legem transgreditur, est peccator;

O homo legem transgreditur;

E. O. homo est peccator.

*Modi primæ figuræ vulgo sunt quatuor:
Bar--ba--ra. Ce--la--rent. Da--ri--i. Fe--
ri--o.*

Quarum vocum tres Syllabæ tribus Syllogismi propositionibus præfigendæ, vocalibus A. E. I. O. quantitatem propositionis arguunt.

Cum vero memoriæ tantum puerorum inserviant, negligi omnino poterunt, obseruatà tantum regulâ primæ figura

Major sit universalis.

Minor sit affirmans.

Secunda figura est, ubi medius terminus est prædicatum in utrâque præmissarum.

Nullum preceptum DEI est iniquum;

Vindicta privata est iniqua;

E. Vindicta privata non est preceptum DEI.

*Ejus modi iterum quatuor : CeS--a--re.
CaM--es--tres. FeS--ti--no. Ba--roC--o,
prætereundi facile si notetur regula secunda
figura.*

Ma-

Major sit universalis.

*Altera præmissarum & ipsa conclusio negans
fit.*

*Tertia figura est , ubi medius terminus est
subjectum in utraque præmissarum.*

O. avis volat ;

O. avis habet alas ;

E. quoddam quod habet alas , volat.

Hujus modi vulgo sex : Da--raP--ti.
Fe--laP--ton. DiS--a--mis. Da--tiS--i. BoC
ar--do. FE--riS--on, omittendi si notetur
regula tertiae figure.

Minor sit affirmans.

Conclusio particularis.

De figuris & regulis notetur mnemoni-
cum:

Prima prius subjicit, post prædicat ipsum ;

Altera bis dicit ; tertia bis subjicit.

1) Sit minor affirmans, & major universalis.

2) Sit major universalis , & altera negans.

3) Sit minor affirmans , conclusio particularis.

Cum vero prima figura & facilior & eviden-
tior sit reliquis ; hinc secunda & tertia ad pri-
mam reducuntur , per conversionem.

In secunda ergo convertatur major (ut
medius terminus , qui est prædicatum ma-
joris , fiat subjectum) & quidem negans
simpliciter ; affirmans per contrapositionem .

In tertia convertatur minor (ut medius
terminus , qui est subjectum minoris , fiat

C prædica-

34 LIB. III. CÁP. II. DE FIGURIS & MODIS.

Prædicatum) & quidem Universalis per acci-
dens; Particularis simpliciter.

Nota tamen: Si major particularis fuerit,
ut regula prime figuræ de universalí majore sa-
tisfiat, propositiones erunt permutandæ prius, ut
ex minore fiat major.

Qui modis figurarum assuefiunt, has
reductionis regulas ex solis literis S. P. M. C.
majusculis propterea, discunt; sic enim
habet mnemonicum:

S. vult simpliciter verti; P. vero per acci-
M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Tandem & regulae generales, omnibus figu-
ris inservituræ, notandæ.

1) In Syllogismo non sint plures termini quam
tres.

Non vero tantum peccatur, quando aperte qua-
tuor termini occurruunt; sed quando idem terminus
aliter in majore quam minore accipitur, vel quan-
do aliquid aut omittitur, aut additur.

2) Medius terminus non ingrediatur conclu-
sionem.

3) Ex puris particularibus nihil sequitur.

4) Ex puris negativis nihil sequitur.

5) Conclusio sequitur partem debiliorēm, h. e.
quando altera præmissarum negans aut par-
ticularis est, erit & ipsa conclusio negans
aut particularis.

6) In conclusione non sit plus vel minus, quam
fuit in præmissis.

CAP.

Cap. III.

De Divisione Syllogismi.

Dividitur Syllogismus ratione (1) *natura* propositionum ; (2) *numeri* propositionum. (3) *medii termini*.

Ratione *natura* propositionum , Syllogismus est *Categoricus* vel *Hypotheticus* , *Absolutus* vel *Modalis* , *Purus* vel *Exponibilis* ; prout propositionibus ejusmodi constat.

Ubi notandum , ad *disjunctivum* referri quoque *Dilemma* (quod & *Syllogismus cornutus*) Ubi omnia majoris *disjunctivi* membra in minori removentur , ut adversarius capiatur , quamcunque *disjunctionis* partem eligat.

Si aeternitas haberet rationem temporis , nec essario haberet rationem aut presentis aut praeteriti aut futuri.

Sed nec habet rationem presentis , nec praeteriti nec futuri.

Ergo plane non habet temporis rationem.

Ratione *numeri propositionum* dividitur Syllogismus in

Perfectum , qui omnes tres propositiones habet expressas ; &

Imperfectum , qui non habet explicitas omnes. Hujus species sunt :

Enthymema cuius altera *præmissarum* in mente quasi retinetur. Et usum habet principiū in orationibus. e. c.

§6 LIB. III. CAP. III. DE DIVISIONE SYLL.

Qui credit, ille justificatur.

Ergo Abraham est justificatus.

Ubi minor omissa: Abraham credidit.

Mendacium est illicitum

Ergo mendacium est fugiendum.

Ubi major omissa: O. illicitum est fugiendum.

Inductio, quando ab omnibus & singulis individuis concluditur ad universale. e. c. *Symbolon, idolon, epitheton &c.* Sunt generis neutrinius; ergo omnia in ON Secundæ declinationis neutra.

Nota tamen: Nullum individuum debere excipi. Unde plerumque additur, nec datur exemplum in contrarium.

Secus si feceris, nulla est inductionis vis. e. c. *Luna, Mars, Venus, Saturnus, Jupiter, Mercurius, proprio lumine destituuntur, ergo omnes planetæ, & sic etiam Sol, quod est absurdum.*

Exemplum, quando a singulari five ab exemplo allegato concluditur ad universale vel etiam particulare.

Daniel ex leonum fauibus est ereptus.

Ergo Omnes, aut saltem DEO confisi, eripientur periculis.

Nota tamen: exempla illustrare magis, quam probare; cum infinitæ circumstantiæ res queant variare.

Sorites est quasi congeries propositionum,

num, quarum posterior ex priori elicetur,
ita ut prædicatum ultimæ de subiecto primæ
tandem prædicetur.

Omnis homo est ex lumbis Adami;

O. ex lumbis Adami, ad imaginem ejus est
genitus;

O. ad Adami imaginem genitus est peccato
originali infectus;

O. peccato originali infectus, est ad actualia
peccata pronus;

O. ad actualia peccata pronus damnationem
meretur.

Ergo Omnis homo damnationem meretur.

Sunt n. plures quasi imperfecti Syllogi-
smi; perficiendi:

1) Quicunque ad actualia peccata pronus est,
ille damnationem meretur.

Sed omnis homo &c. Ergo
Probatur minor:

2) Quicunque peccato originali est infectus,
ille ad actualia pronus

Atqui O. homo &c. Ergo

3) Probatur minor:

Quicunque ad Adami imaginem genitus, ille
peccato originali infectus.

Atqui O. homo &c. Ergo
Probatur iterum minor:

4) Quicunque est ex lumbis Adami, ille ad
imaginem ejus genitus;

Atqui O. homo &c. Ergo.

38 LIB. III. CAP. III. DE DIVISIONE SYLL.

Ratione medii termini Syllogismus est:

Apodicticus seu demonstrativus, cuius medius terminus est vera, certa, & necessaria causa veritatis conclusionis.

O. pœnitentiam salutarem agens, habet remissionem peccatorum.

Petrus salutarem pœnitentiam egit,

Ergo Petrus habet remissionem peccatorum.

Probabilis seu Topicus, cuius medius terminus est probabilis & verosimilis veritatis conclusionis causa.

Quicunque nocturno tempore solus corpori occisi adstare deprehenditur, cruento adhuc gladio armatus, ille occidit hominem

sed hic vel ille &c. Ergo.

Sophisticus seu fallax, cuius medius terminus plane non est causa veritatis conclusionis, sed in fraudem alterius excogitatus.

Quicunque occidit, ille quoque est occidens.

Magistratus capitali supplicio maleficum afficiens, occidit;

Ergo quoque occidens.

Committitur autem sophisma, vel

In forma, quando Syllogismus peccat contra regulas vel speciales vel generales Syllogismi, vel

In materia, quando medius terminus in fraudem excogitatur; cuius vitium tamen potissimum quoque latet in quatuor

tuor terminis, contra regulam generalem
de tribus terminis, adhibitis.

Sic enim resolvuntur sophismata

Æquivocationis, ubi vox quædam æqui-
vocè sumitur.

Amphibolia, ubi integra phrasis æquivoce
adhibetur.

Compositionis & divisionis, ubi quæ com-
ponenda dividuntur, & quæ dividenda
componuntur.

Accentus, ubi voces Syllabarum quanti-
tate discrepantes pro iisdem venduntur.

Dictionis ubi eadem vox alio modo, ra-
tione, & tempore accipitur.

Accidentis ubi quod per accidens est, tan-
quam per se tale accipitur.

Secundum quid & simpliciter, ubi quod cer-
ta ratione verum, tanquam simpliciter
verum, accipitur.

Consequensis ubi quod consequens non
est, tanquam certum consequens produ-
citur.

Cause non causa, ubi quæ causa non est,
tanquam causa allegatur.

Huc quoque refertur.

Ignoratio Elenchi quando opponens illud
oppugnat, de quo non erat sermo: sic
thesin, de fide salvifica justificante, non ferit
argumentum.

40 PARS LOGICÆ II. C. I. DE DEFINITIONE.

*Quicquid non apprehendit meritum Christi,
illud non salvificat.*

*Atqui fides historica, hypocritica &c. Ergo.
Petitio principii, quando ejusmodi me-
dius terminus additur, qui æque du-
bius est, & de cuius veritate adhuc
quæritur. Si quis, probaturus: Solam fi-
dem absque operibus non justificare, ita insur-
geret.*

*Si bona opera, fidei juncta, justificant, se-
quuntur quod fides sola non justificet. Atqui verum
prius, ergo & posterius.*

Pars Logicæ II.

De praxi, usu & applicatione
Syllogismi.

II

Cap. I.

De Definitione.

Definitio est oratio explicans natu-
ram & essentiam alicujus rei.

Estque duplex:

Primaria quæ rem explicat a partibus
intrinsecè eam constituentibus.

Sunt autem partes intrinsecæ: *physicè*
materia & forma; *logicè* genus & diffe-
rentia specifica. Sic *Logica* dici solet, ha-
bitus

bitus mentis organicus , veritatem ex qualibet oratione eliciens.

Ubi genus remotum : *habitus*; propinquum : *habitus mentis*; proximum : *habitus mentis organicus i. e. instrumentalis*. Differentia petitur ab obiecto , quod est *qualibet oratio*, & fine , qui est *veritatis indagatio*.

Difficillimum vero , si non humanam rationem exsuperans , est : *noſſe rerum singularum differentias ſpecificas præcipue in ſubſtantiaſ*; quem deſectum plerumque explet *proprium quarti modi* ſi habetur.

Maxime tamen ad *quatuor cauſarum genera devolvimur*; ſcilicet ad *efficientem & finalē*, tanquam cauſas externas; *Materiam & formam*, tanquam internas quibus adduntur: *objectum, ſubjectum, effectus abjunctiona*.

Hinc nata eſt definitio ſecundaria , dicta etiam *descriptio*, quæ rem explicat ab extrinſecis & circumſtantiaſ. Sic menſa a non nullis deſcribitur , quod fit ſuppelleſ ſomeſtia in latam planitiem ſic diſpoſita , ut reponi ea poſſint negotiis domesticis neceſſaria.

Canones circa definitionem obſervandi ſunt :

Definitio conſtet verbiſ planiſ propriiſ & perſpicuiſ.

Definitio cum definito aq[ue] late pateat, ut poſſit reciprocari, recurrere, ſeu converti.

Cap. II.

De Divisione.

Divisio est oratio quæ totum aliquod dispescit in suas partes.
Estque triplex:

Totius essentialis, qua essentia rei in suas partes essentiales, materiam & formam, genus & differentiam dispescitur. Sic hominis essentia in animalitatem (liceat ita loqui:) & rationalitatem resolvitur.

Totius Universalis, qua terminus Universalis in sua inferiora, genus in species, species in individua resolvitur. Sic stellæ sunt vel fixæ vel erraticæ, &c.

Totius integralis, qua integrum aliquod certis membris seu partibus constans, in illas partes resolvitur. Sunt autem partes vel similares & homogeneæ; sic aqua in guttulas; vel dissimilares & heterogeneæ, sic corpus, in caput, manus, pedes dispescitur.

Unde differre dicuntur,
Distinctio quæ est æquivocata;
Divisio, quæ est univocata in univocata.
Partitio, quæ est integræ in partes integrantes.

Canones sunt :

Mem-

Membra dividentia simul sumpta constituant totum.

Membra non sunt nimis multa.

Cap. III.

De demonstratione.

Demonstratio est oratio, quæ rationem, causam, ætiologiam, seu medium terminum continet, cur prædicatum insit suo subjecto.

Estque Directa sive ostensiva, quæ veram & certam rationem affirmationis vel negationis assert,

Quod fieri potest.

A priori, quando effectus demonstratur per causam. Atheus damnatur, quia non credit.

A posteriori quando causa demonstratur per effectum. Es ignarus linguae latine: non n. loqui vales.

Indirecta seu deductio ad absurdum quæ causam equidem non assert affirmationis vel negationis; ostendit tamen absurditatem contrarii. Angeli sunt spiritus, quia si non essent, forent corruptibiles.

Canones sunt:

In principiis scilicet causis non datur progressus in infinitum.

Principia non debent applicari materiae plane diversæ.

CAP.

Cap. IV.

De Topica probatione.

Loci Topicci sunt fontes aut sedes, ex quibus argumenta probantia amplificantia & illustrantia defumuntur.

Probant autem maximam partem verosimiliter & probaliter.

Quod ex ipsis locis patet. E. c. sit differendum: *de mutuo conjugum amore.* Argumenta dabunt sequentia.

Locus Notationis a nominis derivatione. *Conjugium à conjungendo;* aut *conjugando* quasi ad *idem jugum alligando.*

Locus definitionis; est *conjunctio maris & feminæ,* ad *mutuum adjutorium, sobolisque procreationem.*

Hic vero locus apodictice magis quam topice demonstrat.

Locus generis, ubi de *societate mutua.*

Locus speciei, ubi de *sponsaliis, dotis oblatione, nuptiis.*

Locus Totius, ubi poterit afferri *coalitio duorum in unam carnem.*

Locus partium ubi poterit dici de *corporum animorumque consensu, de vultus, gestuum, oris, & pectoris harmonia.*

Locus causa efficientis ubi de *DEO, qui est ipse amor, conjugii primo autore.*

Le-

Locus materiæ ubi de officiis œconomicis.

Locus formæ, ubi de copula carnali.

*Locus finis ubi de adjutorio & sobolis procrea-
tione atque educatione.*

Locus effecti ubi de bonorum communione.

*Locus adjunctorum ubi de indissolubilitate
vinculi conjugalis.*

*Locus circumstantiarum ubi de annorum, fa-
ultatum, statusque paritate.*

Circumstantias potiores habet verificu-
lus.

*Qvis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quo-
modo? quando?*

*Locus comparotorum, ubi de vitis, ulmi,
bederae, palmitisque associatione.*

*Locus oppositorum ubi de scortatione & adul-
terio.*

*Locus Exemplorum ubi de Pyramo & This-
be. &c.*

*Locus Testimoniorum ubi vox DEI: Erunt
in unam carnem.*

Cap. V.

De Methodica Dispositione.

Methodus est artificium rite dispo-
nendi materiam pertractan-

ER

Estque duplex: *Universalis & Particularis.*

Universalis locum habet in disponendis disciplinis & libris. Et hæc iterum vel *Analytica* vel *Synthetica*.

Analytica sive *resolutoria* methodus procedit à compositis ad simplicia, ut (1) finis; (2) *Subiectum*; (3) media ad finem ducentia proponantur.

Locum habet hæc Methodus in disciplinis practicis *Ethica*, *Politica*, & *Oeconomica*,

Synthetica sive *compositoria* procedit a simplicibus ad composita; ut (1) principia (2) principiata, seu affectiones & (3) species objecti proponantur.

Locum habet in disciplinis theoreticis: *Physica*, *Mathesi*. &c.

Particularis locum habet in particulis certis disciplin arum. h. e. *thematibus*; qvæ sunt vel *simplicia*, vel *conjuncta* vel *mixta*.

Thema simplex est unica vox seu terminus; idque *theoreticum* vel *practicum*.

Thema simplex theoreticum absolvitur quando (1) a positis partibus, causis effectis, adjunctis, ad ipsam definitiōnem proceditur; & sic quasi *Synthetice* vel (2) quando a positâ definitione ad partes, causam, effecta, adjuncta proceditur; & sic quasi *analytice*.

Cir-

Circa Thēma simplex practicū logice consideratur finis, subjectum, & media; rhetorice Honestum, utile, facile, jucundum, necessarium.

Thēma conjunctū est integra enuntiatio, sive quēstio affirmanda vel neganda.

Absolvitur illud theticē vel polemīcē.

Thēticē quando formato controversiæ statu, terminisque explicatis, rationes affirmationis vel negationis afferuntur.

Polemīcē quando formato controversiæ statu, explicatis etiam terminis, adversarii antithesis discutitur, objectionesque ejus resolvuntur.

Thēma mixtū est terminus ex cuius explicatione varia oriuntur cōsectaria, porismata, & quēstiones dubiae, explicationi pertractandi thematis statim subjicienda.

Cap. VI.

De Interpretatione.

Interpretatio est artificium eruendi verum dictorum sensum.

Oc̄cu-

Occupatur ea , vel circa simplicem enunciationem , vel circa orationem quamcunque.

In enunciatione subiectum à prædicato , & utrumque a determinationibus discerit , & in vocum suppositionem inquirit.

Suppositio autem est significatio alicujus vocabuli. *Estque materialis , & formalis.*

Materialis quando vocabulum consideratur quoad literas & Syllabas. Sic *Hypo-*
caustum dicitur *quadrisyllabum.*

Formalis quando vocabulum accipitur pro eo quod significat. Et hæc iterum *sim-*
plex & *personalis* sive *individualis.*

Simplex quando vocabulum accipitur pro conceptu illo communi sive universali , qui *genus* vel *speciem* constituit.

Personalis sive *individualis* , quando vocabulum pro certo *individuo* , *supposito* , aut *persona* accipitur.

In oratione quacunque alia interpreta-

1) *Potiores periodos excerptit.*

2) *Theſin principalem investigat.*

3) *Argumenta probantia , illustratingia , vel amplificantia eruit , & suo queque loco disponit.*

Per

Per orationem h. l. intelligitur argumentum quocunque latius & fusius didutum; sive fuerit disputatio, tractatus, oratio, inscriptio, epistola, carmen &c.

Explicantia argumenta sunt, quæ tridunt thematis definitionem tam nominalem in Etymologia, Homonymia, Synonymia; quam realem in genere & differentia specifica.

Probantia sunt, quæ thematis sive affirmati sive negati rationem, causam, & atiologiam adferunt.

Illustrantia quæ vel thesin, vel rationem theseos, uberioris declarant, & perspicuum magis reddunt exemplis, oppositis, comparatis, & testimoniosis.

Amplificantia sunt, quæ adhuc fusius argumentum deducunt per omnes circumstantias.

Cap. VII.

De Disputatione.

Disputatio est artificium eruendi veritatem per formatas & solutas obiectiones contradictorias.

D

Ubi

Ubi discat tyro:

1) Resolvere Syllogismum.

2) Ulteriore discursum elicere per instantias.

3) Formare objectiones:

4) Evitare sophistarum nugas.

Circa resolutionem Syllogismi observetur:

1) Distincte, & quantum fieri potest quoad ipsa verba, esse repetendum.

2) Præmissarum, si obscuræ fuerint, explanationem petendam.

3) Tandem sive per negationem, sive per limitationem, sive per distinctionem esse respondendum.

Ceterum distinctio vel limitatione (1) verbis perspicuis proponenda (2) uno altero exemplo, si opus, explicanda, tum demum (3) ad argumentum applicanda.

Datur tamen & aliis respondendi modus per retorsionem & indirectam responsionem.

Re-

Retorsio est , quando adversarii argumentum ita dicitur falsum , ut ejus contradictorium sit verum.

Indirecta responso est quando major adversarii ita ostenditur falsa , ut substituto minoris subjecto alio totum argumentum repetatur , falsa tamen evidenter conclusione.

Protrahitur porro discursus per novas instantias , quibus vel data responsio infringitur , vel prior objectio denuo urgetur.

Instantie habentur , si vel data distinctio aut limitatio plane rejiciatur , vel applicatio impugnetur , vel rationibus allegatis contradicatur.

Objectibnus formandis conducere poterit , si :

- 1) Status controversiaz rite formetur.
- 2) Objectio directe contradicat.
- 3) Medius terminus antithesin probans inveniatur.

Qui habetur :

s² P. II. C. VII. DE DISPUTATIONE.

Ordinariè si thesis ipsa ejusque rationes examinentur, utrum sufficiant, & contradictoriæ theseos subiectum & prædicatum ejusque connexio ponderetur.

Extraordinariè si consideretur, num thesis vel novitatem, vel heresin, vel periculum aliquod foveat.

Sophistarum nugæ evitari possunt, si probe notetur, quot modis committantur.

Et quamvis infiniti sint modi, potiores tamen sequentia dabunt, ex Weifio.

Committitur sophisma.

I. In *Opponendo* quando opponens

A. Thesin male explicat, dum

a. mutat statum controversiæ.

b. affingit sensum alium, eundemque

1) absurdum philosophicè.

2) impium theologicè.

3) pericolosum politicè.

c. Verba non integra sed mutilata accipit.

B. Ob-

P. II. C. VII. DE DISPUTATIONE

55

B. Objectionem male profert peccantem
scilicet

- a. In forma , contra regulas Syllogismorum
- b. in materia , ut
 - 1) in majori falsum principium
 - 2) in minori mendacium
 - 3) in conclusione apparens, non vera contradictio, qua ad alia a vocamur, reperiatur.

C. Instantias male format dum

- a) Satis refutata , repetit.
- b) regerit , quæ nihil faciunt ad rem.

II. In respondendo , quando Respondens

A. Respondet ad conclusionem

- a) Probata saltem suâ thesi.
- b) objectione adversus conclusionem formata , ut opposens debeat respondere.


B. Declinat res difficiliores , ut

1) Jam

- a) Jam decisas
- b) ad aliam cathedram pertinentes.
- C. Simulat se non capere mentem opponentis, adeoque urget novam probationem.
- D. declamat ex loco communi, quem opponens in dubium non vocat.
- E. quæ semel affirmavit, iterum negat.
- F. provocat ad autoritatem, ut rixas moveat.
- III. *Utrinque* contemptu, cavillationibus, minis, blanditiis.

TANTUM.





Die Erziehung der Kinder

Matth. 9.

卷之三

卷之三

Hendelin. 2 und 3, (9) Dampfsch


卷二



257,47. (10 Gerecht)

der Wahrheit: K. v. A. d. 17





the scale towards document

DISPUTATIONE. 51

ndo adversarii argu-
falsum , ut ejus con-
m.

est quando major ad-
r falsa , ut substituto
o totum argumentum
en evidenter conclu-

discurus per novas
l data responsio infrin-
ectio denuo urgetur.

, si vel data distin-
lane rejiciatur , vel ap-
r , vel rationibus alle-

randis conducere po-

ntroversia rite forme-

direkte contradicat.

terminus antithesin pro-
niatur.

D 2

Or

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0311